



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XXI. De Affinitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

IV.

Dignitas interdum supplet aetatem. Hinc licet militiae tyrones 17. anni nati esse debuerint, ob merita patrum tamen nobis impuberes etiam admissi sunt. *l. fin. C. de Testam. milit. Perez. C. de Tyron. n. 1. 2.*

CAP. XXI.

De Affinitate.

Axioma I.

Quoties matrimonium includitur duabus lineis, toties persona, de quibus quæritur, non sunt affines. Quia quævis linea recta denotat consanguinitatem seu familiam, inter diversas verò familias non poterit esse affinitas. Hinc igitur duo fratres duas sorores ducere possunt. *Carpz. Jurispr. Eccles. l. 2. def. 104.*

II.

Quoties de cognatis uxoris & cognatis mariti inter se quæritur, toties nulla inter ipsos est affinitas *cap. 5. X. de consang. & affin.* non enim affinitas familiam familiæ, sed unam tantum personam conjugatam alterius familiæ jungit ob unitatem nimirum carnis, quæ est inter conjugatum & conjugatum. Ita frater mariti & soror uxoris inter se non sunt affines.

III.

Quoties persona affini alia persona jungitur matrimonio, toties mutatur genus affinitatis, quia hic ex nova unione carnis nova iterum inducitur affinitas. Hic ergo novum quoque instituitur genus, v. g. inter me, & fratris mei uxoris secundum maritum intercedit genus secundum. Et hoc est, quod dicitur, nuptias novas non mutare gradum sed genus attinentiæ.

IV.

Quoto gradu persona uni conjugum juncta est consanguinitate, toto gradu juncta est alteri affinitate; quia conjuges per matrimonium factæ sunt una caro, *Gen. 2. v. ult. & propter hanc unitatem carnis unicam representant personam.*

V.

Quousque matrimonium prohibitum est inter consanguineos, eousque etiam prohibitum est inter affines primi generis. Ratio consistit in unitate carnis, quæ est inter conjuges. Ita ergo quis non potest ducere novercam nec defunctæ uxoris sororem. *Carpz. Jurispr. Eccles. l. 2. def. 99. & seqq.*

VI.

Quoties nullus parentelæ respectus, toties in secundo genere affinitatis nulla prohibitio matrimonii, quia hic nulla proximæ carnis propinquitatis neque honestas naturalis obstat, quæ in contrahendis matrimoniis potissimum attenditur, hinc cessante ratione prohibitionis cessat ipsa prohibitio. Hinc igitur quis ducere poterit sororis suæ mariti uxorem secundam, item defunctæ uxoris fratris viduam, vid. Köppen. *de usu priv. Instit. l. 1. obs. 40.* at vitricus non poterit

ducere privigni viduam ob respectum parentelæ.

CAP. XXII.

De Agro, Agricultura.

Axioma I.

Decuriones tenentur agros desertos vel steriles suæ civitatis cum triennii immunitate accipere ad colendum; si autem hi non sufficiunt, inditiores cives distribuuntur. *l. 1. 16. C. de omni agro deserto.* Imò privati tenentur etiam procul distos accipere, si ibi nullus idoneus receptor, & qui inde Canonem solvere possit, reperitur. Hæc coactio autem tunc demum procedit, (1.) ubi quis fertiles agros jam possidet *l. 10. C. eod.* aliàs enim fundos steriles accipere nemo tenetur *l. 12. C. eod.* (2.) si adscriptitium malâ fide receptum quis reddere noluerit, tunc enim fundus ei accrescit. *Nov. 17. cap. 14. Perez. C. eod. numer. 7.*

II.

Favore agriculturæ fundos steriles suscipientibus datur immunitas, si privati fundi sint, triennium. *l. 1. C. de omni agro deserto.* si principis, biennium. *l. 7. C. eod.* Imò si fundo duplex onus inhærebat, unum adimebatur etiam in præjudicium fisci *l. 15. C. eod.*

III.

Dominus agrum suum pascuum in arva commutare potest, non obstant, quòd nunquam antea fuerit factum. *Perez. C. de pasc. publ. num. 9. 10.*

IV.

Cultura agri Reipubl. maximè necessaria est, itaque aliis permittere non possumus, ut in fundo nostro thesaurum quærant totumque agrum perfodiant. *Perez. C. de thesaur. n. 4.* hinc colonis nulla extraordinaria onera imponi possunt. *l. 1. C. de agric. & censit.* neque onera publica subeunt *l. 4. C. eod.* imò tanti æstimabatur agricultura, ut ab aratro Consules & Dictatores accerferentur. Mirum ergo quòd ea mendicantibus validis penâ statuatur, ut perpetui coloni fiant, *Perez. C. de mandic. valid. n. 7. 8.* Variis quoque privilegiis rustici gaudebant favore agriculturæ. Sic (1.) sine solennitate testari possunt *l. fin. C. de Testam.* (2.) solam Capitationem solvunt, ipsi autem neque eorum equi, jumenta &c. sub gravi penâ ad alia obsequia cogi nequeunt, ne quidem prætextu muneris publici *l. 1. 2. C. ne Rustici ad ult. obsequium.* (3.) equi eorum & instrumenta aratoria pignori, aresto, executioni subijci nequeunt. (4.) alicubi ob debitum civile carcerari nequeunt. *Perez. C. eod. num. 1. seqq.* (5.) Princeps non potest homines ab agricultura abstrahere & privilegium militiæ concedere. *Brunnem. ad l. 3. C. de fugitiv. Colon.*

CAP.